





DISSE<sup>15</sup>  
DISSERTATIO INAUGURALIS CHEMICO-MEDICA,  
DE  
**SALIBVS**  
**ALKALINO-VOLATILIBUS**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P RÆSIDE  
**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-  
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,  
DECANO SUO SPECTATISSIMO,

*Dominio Patrone, Preceptore, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
ANNO MDCCCL. D. XVII. OCTOBR.

HORIS LOCOQUE CONVENTIS  
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SURJICIET

AUCTOR ET RESPONDENS

**GOTTLIEB JOANNES SCHIEFERDECKER,**  
BELLEBA-MAGDEBURGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DIE SEKUNDÄRE UNIVERSALITÄT DER SCHWÄMME  
SALVATORE ALFARINO

DK. D. MICHAELI ALFARINI

SACR. M. RICCI. ROMA. AD. 1504. ET. 1505.

SCVLPI TITLIS. M. D. ET. H. H. 1505. ET. 1506.

PRIMA. ET. SECUNDA. ET. TERTIA. ET. QUARTA.



## PROOEMIVM.

**M**edicina quum sit ars sanitati hominis vel conservandæ, vel si læsa fuerit, convenientibus remediis restituendæ, ita facile ex his eruere licet; Medici officium esse, perspectum habere modum conservandi sanitatem præsentem & amissam restituendi; ad quem finem impetrandum, commoda remedia sunt necessaria. Quemadmodum autem tam varia ex Regno minerali, vegetabili & animali desumpta prostant medicamina, ita etiam varia eorum efficacia in praxi medica innoteſcit. Medicamentis igitur aliquid inesse debet, unde intelligi potest, cur usurpata hunc magis quam aliud in corpore effectum prætent, & quare quædam his, alia illis morbis curandis magis sint idonea. Effectum hunc maxime a partibus constitutivis harumque varia mixtione esse derivandum extra omnem dubitationis aleam positum est; hinc medicus hisce perspectis facile ad effectum physicum remediorum concludere poterit. Hinc quum Chemia corporum partes constitutivas, earundemque mixtionem diversimode demonstret; medicus

principiis chemicis imbutus officio suo optime satisfacere poterit. Cogitanti itaque mihi quale differentiationis inauguralis Thēma eligerim, utilitatis chemicarum scientiarum in praxi medica singularis exemplum quoddam & specimen exhibere nullus dubitavi. Argumentum de salibus volatilibus, utpote medicamine a quibusdam medicorum fere polychreste multisque egregiis laudibus deprædicato, per traetandum pro viribus in me suscepī. Et quum encomia quædam experientiae fidæ minus respondeant, itaque prius de salium volatilium genesi ac indeole ex principiis chemicis inquirens, deinde de illorum vulgari noxio, & denique cauto & probato usu quædam differam. Faxit Deus feliciter!

§. 1.

*S*alvia alkalia volatilia sunt concreta salina quæ tam in fluida, quam sicca forma adparent, & ex principiis salino-terreis atque oleosis, per putrefactionem & ignem intime iunctis, producuntur.

§. 2.

*Alkali vox est Arabica, & derivatur a herba *Kali* & articulo ejusdem linguae al præposito, hæc planitia igne comburitur, cineres relinquit, qui salem satis acrem resipiunt, ex quibus deinde, adfusa aqua fervida lixivium salsum excoquuntur, quod sensu strictissimo *alkali* vocari solet; nunc autem huius vocis usus latius pater, ita ut non solum omnia salia lixiviosa, per combustionem vegetabilium parata, sed etiam salia urinosa, *alkalia* vocarentur. Ratio hujus denominationis ista videtur, quia scili-*

( 5 )

scilicet hæc salia æque ut alkalia fixa 1) cum acido  
quocunque effervescent, 2) solutiones cum acidis factas  
præcipitant 3) cum acidis mixta in sal medium transeunt  
4) Syrupo violarum infusa, colore illius mutant in vi.  
ridem.

§. 3.

Per generalem salium volatilium denominationem,  
vulgo quidem alkalia intelliguntur; attamen quum non  
omnia volatilia sint indolis alkalinae, sed etiam acida vo-  
latilia existant, ut v. g. sal volatile succini, spiritus vitrio-  
li volatilis, &c. accuratius per epitheta alkaliū aut urin-  
osorum distingui debent.

§. 4.

Quod autem salia ista volatilia etiam appellantur  
*urinosa*, hoc inde evenire viderit, quoniam omnia illa  
cum eo ex urina parato convenient, ejusdemque indolis  
sunt, & fortasse primum, quod factum sicut ex urina pro-  
ductum, ad quod odor volatilis urinæ putrescentis haud  
dubie præbuit occasionem: Docte præterea hujus deno-  
minationis rationem III. JUNCKERUS in conspectu chemiae  
explicat, dicens: „sicut alias a potiori denominatio fieri  
„soler & e. g. a lapide bezoardico reliqua medicamina, que  
„ad ejus indolem accedere videntur, bezoardica audiunt;  
„ita etiam a sale volatili urinæ, utpote notissimo ac fre-  
„quentissimo, reliqua, que sunt alkalia volatilia, *urinosa* ad-  
„pellatur.

§. 5.

*Volatilia* denique nuncupantur, ob indolem mani-  
festō volatilēm, quia facile in auras exhalant, & per le-  
nissimum caloris gradum commoveri possunt, immo li-

A 3 bero

bero aëre exposita non persistunt sed avolant; (chemicis enim id vocatur *fixum*, quod in igne diutius persistit, volatile autem illis dicitur, quod ex igne citius avolat,) prætereaque odore penetranti nares adscidunt maximopere. Distinctio tandem illa salium volatilium in liquida, quæ sunt spiritus, & sicca, proprie salia dicta, parvi est ponderis. Spiritum enim talen esse sal volatile liquidum, sal volatile autem spiritum coagularum, qui nesciat credo fore neminem.

## §. 6.

*Salia ista volatilia urinosa* differunt in genere 1) ratione originis, alia enim ex animali, alia vero ex vegetabili regno trahunt originem, deinde 2) etiam a *fixis* salibus alkalinis differunt ratione *mixtionis*, licet enim utraque ex principio terreo-salino & pingui sulphureo concreta sint, *haec* tamen magis de oleosa substantia, quam *fixa*, in sinu fovent.

## §. 7.

Supervacaneum esset omnia subiecta, sal volatile urinosum largientia, describere, sufficit ex regno animali, præter sal volatile urinæ, *salia Cornu Cervi*, *viperarum*, spiritum salis ammoniaci simplicem & calce viva paratum, utpote usitatora, nominasse, quamvis nemo chemicorum non ignoret, ex reliquis quoque animalium partibus, ut cornibus, sanguine &c. spiritum & sal volatile præparari posse. Ex regno vegetabili vero salia urinosa produci, spiritus fuliginis, & feces vini siccatae per retortam destillatae restantur; neque minus notum, quod reliqua vegetabilia, per putrefactionem dissoluta & destillata, spiritum largiantur *urinosum* volatilem.

## §. 8.

## §. 8.

Differunt vero hæcce *salia urinosa* in specie ab invicem 1) ratione saporis, qui plus vel minus est quasi causticus 2) ratione odoris, qui plus vel minus penetrans & foetidus est, quare plebs talem Spiritum den *Stäncker vocat*, 3) ratione subjectorum, ex quibus producuntur 4) ratione diversæ præparationis, alia enim per putrefactionem, aut intimorem fermentationem, alia vero per ignem producuntur 5) ratione puritatis & 6) ratione voluntatis.

## §. 9.

Diximus (§. 2.) *salia volatilia urinosa* cum salibus aliquibus fixis admodum convenire, nihil minus tamen ab illis præter voluntatem & fixitatem sequenti modo differunt: 1) alkali volatile purum solutionem mercurii sublimati albam præcipitat, fixum vero in colorem aurantium 2) solutiones veneris, si modo tantillum Cupri in illis adest, coeruleo colore alkali volatile præcipitat 3) *salia volatilia* cum spiritu nitri fumum exiguum constituant 4) *salia volatilia* in aqua soluta frigus, fixa vero calorem efficiunt & 5) *salia fixa* attrahunt humida ast in crystallos non abeunt, cum *salia volatilia* nullum in se recipiant humidum, salinam autem & quasi crystallinam constituant consistentiam, vera hæc esse quisque experietur, qui hic necessaria experimenta cum istis salibus instituere velit.

## §. 10.

Ex descriptione *salium volatilium* appareat, quod originem suam habeant ex intima particularum saline-terrestrium cum oleosis mixtione, id quod etiam experientia

rientia confirmat. Nam *terra BECHERI prima*, quæ a veteribus *sal* dicta fuit, ut ut omnibus fere corporibus basin & consistentiam præbet, unde proprietates ponderis, densitatis & siccitatis dependent; & purissima in salibus reperitur, ita *terra secunda*, a veteribus sulphur appellata, prima subtilior & volatilior, ubique fere dispersa, omnibusque vegetabilium & animalium partibus, imprimis salibus alkaliniis volatilibus inest: immo particulae salino-terrestres ex ipso adspectu & habitu corporali atque dispositione eorum ad crystallisationem patent, oleosæ vero ex odore, maxime autem ex inflammatione cum nitro cognosci possunt; si enim nitro crucibulo indito, si fluit, sal volatile infertur, aliquamēflammam concipit. Mixtionem autem intimam esse harum particularum ex eo liquer; quod terrestres simul cum oleosis, & ita rotis salis volatile substantia in auras abeat.

## §. II.

Quod vero *salia* hæc volatile urinosa ex olei empyreumatici attenuatione, & intimo cum subtilissimis terrenis partibus combinatione nascantur, per illud præcipue manifestum experimentum probatur, quod hæcce *salia* volatile non solum post volatiles concreti partes, sed etiam post ipsam spissiorem resinam demum propellantur; si enim oleum quodpiam vegetabile spissum, subiecto subtiliter terreo e. g. calci vivæ commiscetur, & sufficiente ignis gradu abstrahitur, tunc magna illius pars subtilem terream substantiam secum quasi arripit atque tali modo *sal volatile* constituit; si vero oleum ejusmodi crassum per se, sine additione substantiæ alicujus terreæ destillatur, nullum *sal volatile* præberet.

## §. 12.

## §. 12.

Veritatem hujus adserri, si quis non haberet perspectam, experimenta chemica illam facile ad oculos demonstrare poterunt: si enim subjectum aliquod ex regno animali v.g. Cornu Cervi, in retorta ad nigredinem uritur, potior pars oleosa primum adscendit, deinde alio recipiente adaptato, prodit cum oleosa spissiore portione, & post hanc, sal volatile, quo diutius jam ustio durat, eo major copia salis volatilis prodit: sic etiam quando e subjecto aliquo regni vegetabilis, sal volatile per putrefactiōnem producitur, eadem ratione res se habet; cum enim mediante putrefactiōne crosis corporum intime solvatur, partes concreti oleosae cum salino-terreis uniantur ac in oleum empyrevmaticum convertantur, partesque salinæ volatilisentur, quod ex sequentibus patebit; itaque salia volatilia, volatilioribus suis partibus jam privata, ex residuo oleo empyrevmatico & terrea substantia, debita desilatōne adhibita, producentur.

## §. 13.

Modus fiendi salium volatilium urinosorum in Chēmia usitatus, vel putrefactiōne, vel fermentatione, vel igne absolvitur, hacce tamen intercedente differentia, ut per putrefactiōnem tardius, sed in maiori quantitate, per ignem autem citius quidem, sed minori copia, salia ista obtineantur.

## §. 14.

Putrefactiō artificialis ( naturalem enim hic nos non intelligere posse, quilibet facile intelliger) est operatio chemica, qua mediante subiecta ad putredinem idonea per extremum motus intestini gradum, cum sub

B

sequen-

sequente interdum notabili calore & scetore in mixtione sua intime dissoluuntur, & partes, mixta talia constituentes, plenarie separantur.

## §. 15.

*Subiectum* igitur *putrefactionis* constituit omne corpus, quod mucida pinguedine abundat, vel quod ex partibus heterogeneis, terreis scilicet aquae & oleofis, laxe invicem coharentibus, contextum est. Hinc speciatim ex regno animali ad putredinem concipiendam idoneae sunt omnes fere partes fluidae & solidae animalium, & in his præcipue sanguis, qui celerrimæ corruptiōni obnoxius est, hunc excipit urina & excrementa alvi, & denique sequuntur partes solidae, ut carnes cornua &c. Ex regno vegetabili, quod putrefactioni non simili gradu expositum est, quam quidem animale, illa tamen ad horum classem, quæ putredinem concipiunt, subiecta referenda, quibus multum pinguedinis spissioris, seu resinoso-bituminosæ substantiæ inest; Cuius census sunt herbae, flores, fructus virides, molles ac succulenti, porro duriora etiam, ut ligna, cortices & radices per artem prædisposita, comminuta scilicet arque humectata. Regnum minerale vero nullum propriæ subiectum putrefactionis suppeditat, quippe cuius mixtio in universum firmior & solidior, adeoque motus ejus resolutiorius ab indole putredinosa longe est alienus, nisi intimam æruginosam arrotionem putrefactionem mineralem appellare cuidem placuerit.

## §. 16.

Effectus putrefactionis itaque talis est, ut scilicet generatim crafis corporum intime solvatur plenarieque destru-

destruatur, ita ut hæc alteratio alias proprietates, quæ antea non aderant, producat; partes enim concreti oleosæ cum salino-terreis unitæ in oleum foetidum converuntur & partes salinæ volatilisantur; hinc, licet corpora ista propriam suam essentialēm indolem non deserant, multo tamen subtiliora redduntur, speciatim eo modo, ut partes terreæ in salinas tenerimas, oleosæ in sal volatile oleosum, & aquæ in vaporem abeant; Et hæc sunt quæ de putrefactione hic allegare angusti dissertationis limites permittunt.

## §. 17.

Modus salia volatilia alkalina producendi non solum per putrefactionem sed etiam per ignem absolvitur; (§. 13.) hinc nostrum erit etiam de hoc nonnulla differere. Quam varias formas ignis afferat rebus, quæ sub eiusdem dominio, seu potius tortura sunt, fere omnibus, imprimis autem Chemie deditis satis notum est, multiplicesque ejusdem modos & effectus, si vellemus prolixiones esse, enumerare possemus: quum vero instituti nostri ratio id verat, itaque hic tantum consideramus ignem, quatenus caussa efficiens sit, salia volatilia ex subjectis quibusdam, supra allegatis, producendi.

## §. 18.

Duplici maxime ratione id contingit, primo si subjecta animantium aut vegetabilium in furnum peculiarem, hunc in finem inventum, immediate super carbones candentes, in eo contentos, iniiciuntur, tali modo, ut partes illorum volatiles, vi ignis, sub forma vaporis elevatae, in canalem, lateri illius furni infixum, libere transeant, ac in adaptatis vasibus recipientibus, in liquorem coeuntes, ex-

cipientur atque a remanentibus fixioribus separantur

§. 19.

Alio modo, sequenti efficitur ratione, quando nimis haec subjecta instrumentis sic dictis retortis vitreis vel terreis vel ferreis, sive alio tali vase, hunc in finem invento, inclusa, furno reverberatorio immittuntur & recipientibus capacibus adaptatis, vehementer ignis exponuntur, ut partes volatiles, vi ignis levatae, in recipientibus colligantur, fixioribus in retorta remanentibus.

§. 20.

Effectus igitur hujus processus in eo maxime consistit, ut 1) mixtio corporum vel vegetabilium vel animalium qualiamcunque intine dissolvatur, 2) partes volatiles a fixioribus sejungantur, 3) partes saline ac oleose immutentur, & 4) acidae partim volatilentur, partim cum terreis unitae, in salino-alkalinam substantiam convertantur: si enim subjectum quoddam ex regno animali desumtum, per modum illum §. 19. indicatum, tractatur; prodit primo phlegma urinosum, saporis amaricantis, quod mediae sere naturae est inter phlegma & spiritum, & non purum phlegma, quia in distillatione striaitem transit per alembicum, cum alias phlegma guttatum transeat; deinde prodit sub forma nebulae, sal volatile, quod alembici lateribus adhaeret, porro oleum crassum empyreumaticum, quod nihil aliud est, quam salia concentrata, ex sale volatili urinoso & acido unita, quae postquam pars exhalavit, transirent & extillant, terra insipida nigricante in retorta remanente.

§. 21.

Mirandum sane, per duas maxime ab invicem diversas actiones, putrefactionem puto & ignitionem, eadem que

que producta parari posse, ut deinde post separationem & reclassificationem peractam, non distinguantur, a quoniam subiecto hoc vel illud sal sit productum, nullaque differentia specifica obseretur, sed unum ac alterum æque sit volatile. In his enim actionibus color, sapor, odor omnesque specificæ proprietates destruntur; neque prius, quam talis prægressa sit destructio, salia volatilia nascuntur.

## §. 22.

Differentia interim quædam in hisce operationibus ipsis, notatu digna, intercedit, quod nimurum *Salia volatilia* per ignitionem producta, in fine demum, per putrefactionem vero, mox in principio prodeant. Hæc differentia sequenti innititur ratione: in subiecto putrescente, durante adhuc putrefactione, sal volatile formatur, & sensim evolvitur, ut deinde, accedente modico calore, plenarie separari possit: in subiecto autem putrefactioni non exposito, sed sicco & mox per ignem tractato, nullo modo præparatio quædam præcedit, quæ sal hocce formare posset, cum itaque accedens calor nihil separandum inveniat, præterea subiecto huic multo magis noxius vel tamen minus aptus sit, siquidem ille omnem humiditatem propellit, ut nequidem unicum grantum salis volatilis elici possit, itaque alio modo est incedendum: Calor nimurum ad vas usque incandescenciam augendus, quo facto, mixtio hujus subiecti intime solvit, partes volatiles a fixioribus maxima vi separantur, hacque ratione sal volatile ultimo prodit.

## §. 23.

Supereft ut de reclassificatione salium volatilem dicam; quæ actio est chemica, qua subiecta a partibus peregrini

nis, imprimis aqueis, terreis, acidis & empyrevmaticis per destillationem vel sublimationem separantur & purificantur.

## §. 24.

Quum autem salibus volatilebus urinosis partes aquosae & oleosae adhuc adhærent, itaque necesse est, ut ab illis purificantur, id quod sequentibus potissimum perficitur modis 1) si Spiritus volatiles salino-alkalici cucurbitae vitreæ immittuntur, & adaptato alembico, calori arenæ aut balnei exponuntur, ut partes volatiles alembicum transcendent, reliquæ vero graviores in cucurbita remaneant, vel 2) si sali volatili urinoso sali Tartari aut aliud alkali fixum admiscetur, & aqua pluviarili adfusa, in massam pultaceam redactum, digestione instituta, ex balneo Mariæ destillatur; hac enim ratione, alkali fixum admixtum, quod pingue promittit & retinet quam volatile, oleum empyrevmaticum volatili eripit, atque in se recipit, ut ita sal volatile purum evadat, vel 3) si Spiritus vini rectificatissimus sali volatili alkalino adfunditur, cucurbitæ altiori vitreæ immittitur & adaptato alembico in arena lenissimo calore extrahitur, sic nitida alba salina corpuscula successive in alembico colliguntur, tum remoto priori alembico, alias adponitur, ut continuata hac abstractione Spiritus succedat & ab aqua separetur.

## §. 25.

Ut vero clarius constet modus producendi salium volatilem urinorum, specimina quædam adponere non abs re erit; quum autem jam multa horum in scriptis chemico pharmaceuticis præscripta inveniantur, in illis recensendis haud immorabor, unum alterumve tantum exempli loco ex illis proferens.

## §. 26.

§. 26.

*Sal. Volatile urinæ.*

Rec. Urinæ hominis sani q. v. reponatur in vase vitroœ per aliquot menses, ut putrefeat. Deinde ex cucurbita vitrea in arena per debitos ignis aperti gradus destillatio instituatur. Sic primum phlegma, postea sal urinæ liquidum & siccum cum oleo, sub nebulosa forma adscendit. Finita operatione & facta effusione, sal volatile ab oleosa parte per debitam enchei-resin separatur, a phlegmate autem per aliquot a residuo cohabitationes liberatur.

§. 27.

*Sal Cornu cervi volatile.*

Rec. Cornu cervi, in Segmenta concisi, imitantur retorta vel vitrea loricata vel ferrea, & recipiens capax adaptetur. Deinde per ignis aperti gradus destillatio tam diu continuetur, donec nebulae cesserent. Finita distillatione & contentorum effusione, liquor cum sale volatile ab oleo separetur, & quidem per filtrum, spiritu vini prius humectatum. Liquori admisceatur cinerum portio, & ex præalta phiola leni igne sal volatile sublimetur; quod a spiritu, qui simul adscendit, vel separatur, vel cum eo mixtum relinquatur.

§. 28.

Tandem de præparatione *salium volatilium oleoforum*, utpote in pharmacia usitatislissimum dicendum restat; quod illa a conjunctione *spiritus urinosi* & *spiritus vini* dependeant, ideoque salia hæc, ex *spirituosis*, *oleosis* & *salino-alkalicis* volatileibus partibus constent; de quibus paragrapho sequenti videamus exemplum.

§. 29.

Hujuscemodi salis volatileis oleosi compositiones plures inveniuntur in scriptis chemico-pharmacæuticis; pertinet eo, *Sal volatile oleosum nat e<sup>z</sup>oxw sic dictum, spiritus salis ammoniaci vinosus cum sale tartari, cum calce viva,*

viva, succinatus, & anisatus, Spiritus antipodagricus  
HOFFMANNI, & alia, imprimis vero descriptio ista,  
quam ROTHIUS tradidit sequentem in modum:

Rec. Cortic. aurant. Drachm. VI. Cinamom. unc. sem.  
macis, coryophill. cardamom. anis. scnic. ana drachm. I. ci-  
ner clavell. unc. II. sal. armeniac. drachm. VI. adsfund. spir-  
vin. rectif. Libr. I. post digestionem destilletur ex balneo  
Marie.

## §. 30.

Tractatione *saliūm volatilīnū alkalinorūm* huc us-  
que breviter peracta, ad alteram me accingo susceptae  
elaborationis partem, ubi ex instituti ratione tam vul-  
garis *saliūm* istorum in plurimis morbis *abusus* ostendendus,  
quam simul cautus & salutaris, quem *salia* ista in corpore  
humano præstant, *usus medicus* exponentus erit.

## §. 31.

Encomia sane multa passim in Medicorum scriptis  
de usu medico *saliūm volatilīum* inveniuntur; inter quæ  
HELMONTII verba merito referenda sunt, qui de illis se-  
quentem in modum judicans, *sixa alcalia*, inquit, *si vo-*  
*latilisentur, magnorum pharmacorum potestates æquant;*  
*quippe vi incisionis, resolutionis & abstensionis, delata us-*  
*que ad limen quartæ digestionis, tenacitatem coagulato-*  
*rum in vasis fundamentaliter tollunt.* Et alibi: *Si vero*  
*penitiori recessu aliquid pertinacius & occultius restiterit,*  
*adsumenta sunt alkalia volatilia, quæ instar saponis cuncta*  
*abstergunt; mirum sane quantum sal Tartari volatile fa-*  
*ctum non præfiterit, nam omnem e venis amurcam deter-*  
*git, & verum est de eo illud Paracelsi, quod quocumque non*  
*attigerit, vix aliquid potentius perveniet.*

## §. 32.

## §. 32.

Neque minus OTTO TACHENIUS, in primis vero SYLVIVS, Salia volatilia quasi pro sacra habet anchora, uti ex scriptis ejus patet, in quibus eadem ad multos morbos propellendos commendata legitimus: sic v. g. allegatus hic Auctor in *Methodo Medendi Lib. II. Cap. XVII.* §. XLVI. & seqq. dicit: *Ad mensum fluxum excitandum talia interna remedia requiri; quæ 1) humores glutinosos & orificio vaforum obducentes aut obturantes incident fluidos reddant, 2) quæ sanguinem quiescentem, atque mora vel ad coagulationem inclinant vel ad corruptionem vergunt, iterum agitent: & a coagulatione aut corruptione aut imminente aut inchoata libereant; hæcque omnia præstare posse salia volatilia; immo dicit §. LXIV. omnia medicamenta, quæ multum in mensum suppressione præstant, non esse cum salibus volatilibus conferenda, ipsis nempe longe inferiora; præterea §. LXVIII. inter medicamenta, quæ humores acidos & austeros temperent, obtundant, diluant, concentrent, primas tenere salia volatilia, utpote vere polychresta, & in medicina facienda usus infiniti.*

## §. 33.

Plura adhuc de laudibus *salium istorum pervulgatis* proferre possem, si hisce allegationibus immorari vellem, ne vero benevolo lectori molestiam aliquam creasse videar, ulteriori, si luber, evolutione & lectione propria Auctorum illorum, relinquo, unicum tantummodo encoumum SYLVIJ præterire non possum, in *Appendice Praxeos Medicæ Tract. X. §. DCLXIX.* ubi *salium volatilium efficaciam summam, insuper vim eorundem maxime*

C tutam,

tutam, & innoxiam, in febribus intermittentibus curandis prædicans s. DCLXX. porro dicit: Ex quibus amplius patet, salium volatilium in curandis febribus intermittentibus utilitas, quippe quæ sola pluribus satisfaciunt indicationibus, & 1) quidem solvende pituitæ obstruenti, ut & eidem loco movendæ, 2) temperando fucco pancreatico acidiori facto.

## §. 34.

Et hoc non adeo mirum est, celeberrimos illos viros talia adseruisse, si consideramus, quod iisdem temporibus omnes in corpore humano contingentes motus in morbis, mere materialibus caussis derivarint, inter quas imprimis humores pituitosos, acidos, viscidos, tenaces vasæ vel fibras obstruentes & sanguinem coagulantes adoptarunt, in febribus autem obstructioni seu sanguini pituitoso per tenuissima vascula ferri minus apero, totum paroxysmi negotium tribuentes, apertis vasculis illis antea obstructis paroxysmum tum solvi crediderunt, itaque hunc in finem salia volatilia commendavere, quia credebant, vim illis, acidum humoribus hostile absorbendi, obstructionesque aperiendi & resolvendi esse insitam. Quam vero hodie pathologia ista humorosa quadantenus restricta, motus in morbis non e, sed propter materiam institui compertum sit, qui, uti in statu naturali ordinarie moderati, ita in praeternaturali, aucta materia peccante, aucti esse debeant, ideoque nihil novi, sed tantum aliquid aucti in morbis contingere demonstratum fuit; hinc etiam salium volatilem hyperbolica vis in auras abiit.

## §. 35.

*Salia volatilia ex partibus subtilissimis saline terreis*

25

& oleosis intime junctis constant. (§. II.) hinc quidquid ab illis in corpore humano efficitur, illud vel a salino-terreis vel oleosis partibus derivandum erit; quum vero partes salino-terreæ maximam vim stimulantem in vias, oleose vero calefacentem & humores excitantem exserant, uti ex chemicis pater, ita efficacia salium volatilium in corpore nostro solidas partes extimulans, resolvens, magis autem tonica, & aucto sic motu, humores fortius propellens, comovens & diuretica erit.

## §. 36.

Si itaque salia ista volatilia in suppressione mensum aut locbiorum promiscue propinuantur, tum quia sanguinem quidem commovent, sed non directe promovent, subtilissimas sanguinis partes dissipant & crassioribus relictis, facile majores obstructions, summae præcordiorum angustiae, adfectus spastici & Cephalalgici inducuntur, si vero sanguinis quantitas prius imminuta & qualitas correcta, sanguisque menstruus circa uterum congestus est, quod ex spastico circa os sacrum dolore cognoscitur, tunc quidem usurpata salia volatilia, venæ porræ & uteri vasa blande stimulando, sanguinemque ad excuscionem excitando, menes promovere possunt.

## §. 37.

Sic quoque in Malo hypochondriaco-hysterico, ut propte quo impeditus sanguinis progressus circa venam porræ & viscera annexa in causa est, mirifice extolluntur salia volatilia virtusque corum resolvens magnopere deprehendatur; sed experientia docuit, quod, quia maxime in vias agant, illisque stimulum ad constrictionem impriment, haec strictura, quando sanguis minus mobilis &

viæ nimium repletæ sunt, majorem stagnationem sanguinis & viscerum infarctus inducat; aut aliquando impetuosa periculosasque sanguinis profusiones efficiat; ut adeo turius erit in hoc morbo plane ab illorum inopportuno usu abstinere. Notabilem Casum in Actis Hafniensibus, a BARTHOLINO editis, relatum legimus: quod quidam frequentius assunserit sal volatile oleosum SYLVII, pro sanguinis attenuatione & ad avertendas obstrunctiones, sanguis enim per V. S. extractus fuerat viscidus & cressus, continuato usu hujus aliquandiu, accidit non solum hemorrhagia narium vix curabilis, sed etiam tumor pedum subsecutus est.

§. 38.

Sunt etiam qui salia volatilia præcipue Sal & spir. C. C. in febris continentibus & catarrhalibus ad sudorem promovendum commendant, sed observationes praetice docent, quod in his facile damnum adferant, dum sudorem vel nimis excitant, vel plane impediunt, materiam præterea catarrhalem acrem vehementius commovendo, febris inflammatoriis ansam præbent, quapropter etiam in his morbis proflus erunt evitanda.

§. 39.

Periculosem pariter illud conamen eorum esse videtur, qui salia volatilia in obstructionibus viscerum, febre lenta, & hydrope, pro scopo aperiente libere adhibent, dum enim aquam intercutem ope horum salium per vias urinarias expellere volunt, viscera jam indurata adhuc magis constringuntur & febris hectica acceleratur; sic etiam qui cacochymiam salibus volatilibus oppugnare velit, periculose errabit, quia graviores noxas certissime [infe-

inferunt; Conf. F. HOFFMANNI exercitat. de acido & viscido Cap. V. ubi noxam volatilium aliquor casibus confirmat.

## §. 40.

Neque minus salia hæcce arthriticis, rheumaticis & podagricis doloribus, tam externe quam interne adhibita aliquoties damnum magis, quam utilitatem attulisse varia exempla commonistravere, quippe quibus post eorum usum stupor fere immedicabilis & sensus profundus contusionis & confractio[n]is, quem Medici dolorem offecionem vocant inductus sit; Quare etiam in his casibus caute cum illis mercandum.

## §. 41.

Quid vero de usu salium volatilium in febribus intermittentibus tam valde deprædictato judicandum, quid dicendum erit? dum Medicorum celeberrimi eadem tanquam maxime turum & innoxium remedium, quod cito & tuto juvet commendant; (§. 49) quid exoptatus esset quo[rum], ejusmodi medicamine? quo febricitantium quærelis satisfacere possemus, qui plerumque nihil magis habent in voris, imo s[ecundu]m a Medico effagitant, ut crudellem istum Tyrannum, febrem ita judicant, debellare & penitus profligare debeat. Sed non opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Certe multi hominum triste circumferunt corpore suo exemplum, quod volatilium in febribus usus (aut potiore jure, ex effectu abusus) viscerum, ut hepatis, lienis infarctus, vulgo *Fieber Kuchen* dictos, tumores pedum edematatos & tandem asciticos tumores post se relinquat; Quemadmodum B. STAHNUS suo jam tempore observavit, de Practico quodam,

Spiritu C. C. in febris utente, quod ii, quos a febre liberatos crediderat, frequentissime cachectica inflatione & cedematibus adfecti sint; quod phænomenon ille insucare studuit, dicendo: *Die Krankheit ziehe durch die Füsse hinaus.* Quare spongista vestigia prudentem medicum terrent, ne facile ad tale remedium minus fidum confugiat, sed potius relinquat.

## §. 42.

Generatim itaque de *salibus volatilibus* notandum, copiose & intempestive propinata esse noxia, moderatum vero & subordinatum usum illorum non rejiciendum. Itaque *Salia volatilia* conceduntur 1) *subjectis seroforibus, phlegmaticis, ad languorem eorum excitandum* 2) post jam superatos morbos ad atoniam auferendam, roburque partium restituendum 3) saltē in declinatione morborum, remota materia peccante, tono autem adhuc languido & quidem eo melius, si cum *salibus fixis* vel *tincturis alkalini mixta* propinuantur.

## §. 43.

Quum enim in *subjectis phlegmaticis* semper tonus sit languidus, in aliis vero post graviores morbos percessos, & inde pendente nimia fibrarum relaxatione, tono etiam deficiat robur, quod experientia docet, hæc *salia* autem vim in corpore nostro edant tonicam & excitantem (§. 36.) hinc appetat, quod sub his circumstantiis, omnino usum præsent satis bonum.

## §. 44.

Quod vero *salia volatilia cum fixis salibus seu Tincturis alkalini mixta* in declinatione morborum adhibere cum fructu possint, ratio erit in promtu; *Salia alkalia, fixa*

fixa & imprimis Tincturæ alkalinae, antim. resolventem, lymphæ depravatae corrigentem & diureticam vim exserunt, ideoque in partes fluidas agunt, uti Materia Medica docet, *Salia volatilia* vero his admixta, in partes solidas agendo (§. 36.) reliquias congestionum & spasimorum abstergunt & tonum roborant, hinc eo melius ad morbum penitus superandum faciunt, ergo optimi usus sunt.

## §. 45.

Exempli loco esse potest Mixtura illa, sic dicta *tonico-nervina STAHLLII*, quæ componitur ex Tincturæ antim. acri & Spiritus C.C. volatilis partibus æqualibus, aut pro re nata, ratione subjectorum habita, ex Tincturæ antim. partibus duabus & una Spirit. C. C. immo partibus tribus Tinct. antim. & una Spirit. C. C. & ob egregias vires sepe exhibitas, *Mixturae polycystæ* nomen merito sibi vindicar.

## §. 46.

In specie autem *Salia volatilia* imprimis in *Cachexia*, prægressa debita humorum resolutione, cum fructu possunt adhiberi; in hoc enim morbo habitus corporis totus est flaccidus, uti ex adspectu apparet, vitiumque tam in lympha mucido-serosa, quam remissione vel defectu motus tonici querendam; si itaque lympha mucido-serosa resoluta & correcta, tonus partium simul intenditur & augetur, tunc eo facilius se & excretiones adjuvantur, corpusque cacheoticum restituitur sanum.

## §. 47.

Porro in affectibus *Spasmodicis*, salia haecce, moderate propinata, non contemnenda sunt, quia scilicet mo-

tum

tum istum spasticum particularem, singulares fibras occupantem doloribusque tensivis & gravativis excruciantem, in universalem murant, motu tonico vero universalis suscitato, particularis ista dolorifica exacerbatio compescitur & remittit, eo melior autem atque securior erit effectus, si cum tintura quadam alkalina v. g. antimonii remixta exhibeantur, (§. 45.)

## §. 48.

Denique in Congestionibus, præcipue in subiectis spongiosis sæpe occurribus bene se gerunt *salia volatilia*, notandum autem est, quod 1) a refractis dosibus sit incipiendum 2) non tam in initio & statu, sed potius in declinatione morbi esse propinanda, exceptis illis congestionibus, ubi pauca materia adest, e. g. in *hemiceranis* eorum, qui non sunt plerorici, ubi, præcipue cum Tinctura antim. vel salis Tartari maritata, in ipso etiam statu admitti possunt. Tinctura enim hæc *alkalina* fixa, sero-sam tenacitatem, acrimonia sua potenter incidit & diuresis excretionem promovet, *sal* vero *volatile* admixtum, per tonicam suam efficaciam, aqualem humorum distributionem efficit, hinc congestionis discussionem.

## §. 49.

Satis esse hæc de usu *interno* *salium volatilium* dixisse, dissertationis hujus ratio suadet, plura qui desiderat, facile illa in aliis Medicorum scriptis invenier, ad quæ igitur illum ablegamus, de usu aurem *externo* horum *salium* pauca adhuc proferre placet.

## §. 50.

*Salia volatilia urinosa*, externe adhibita, vim exserunt *errhinaam*, naribusque admota ad *lipothymicorum* ex-cita-

citationem valent satisque nota sunt: Quemadmodum vero copiosus & vulgaris usus sepe nocet, siquidem activitate sua nimia facile transcendunt limites successivæ discussionis, ita tamen in quibusdam morbis moderata & circumspecta usurpatio non est contemnenda, uti mox dicendum erit: sic e. g. in *Cephalalgia* & *vertigine idiopathica* subjunctis congruis remedii internis, in subsidium vocari possunt *salia volatilia* odore adhibita, tum enim blandam strictroram paribus membranosis inducant, hacque ratione discussionem infarctus sanguinis promovent.

## §. 51.

Porro in *coryza* & *gravedine* omnem fere curacionis paginam absolvunt; ibi enim materia mucido-serosa, ad nares & vicinas partes congesta, stagnat, si itaque odor *salium volatilium* e. g. *salis ammoniaci*, naribus excipitur, tunc mucida illa materia, quæ tensioni, variisque incommodis ansam dat, resolvitur, vel saltem mobilis redditur, viæ vero & partes membranoso-nerveæ ita simul adficiuntur, ut humiditatis contentæ distributio & excretio sequatur; neque minus *spiritus vrinoſi* in *Cephalalgia* & *Odontalgia*, *impedimentis materialibus sublatis*, & *pletora* *absente*, naribus attracti, saepius adferunt levamen.

## §. 52.

Iridem in *Otalgia*, remittente aliquo modo dolore externe, applicatio *salis volatilis* *feci* cum *medulla castrei* vel *camphora* maritati, gossypio instituenda, conjunctis remedii internis, locum habet, quoniam effectu tonico nervino, discussionem congestionis humorum versus caput, vel jam staseos inflammatoriae in membrana mea-

D

tus

rus auditorii interna obortæ, promovet. Commode hac occasione mentionem facio de *Massa illa otalgica quam STAHLIVS præcipue ad gravitatem auditus sive surditatem commendavit sequentem in modum concinnata.*

Rec. Sal. volatil. sicc. C. C. ferup. I. Castor. medull. electiss.  
Gr. V. VI. m. f. massa de qua ciceris magnitudo gossipio involuta versus somnum auri immittatur.

## §. 53.

Denique non est pretereundum silentio quod *salia volatilia externe per instrumentum GLAVERI*, eomo do, quem hic *Auctor* descripsit, immediate applicara, ad pertinacem mensum suppressionem tollendam conferre, dicitur; sed hocce adserendum ulteriori experientiae relin quo, neque longius hic immorandum esse puto.

## T A N T V M.

---

*DOCTISSIMO ET NOBILISSIMO  
DOMINO CANDIDATO*  
*Eudaimonēsartu*  
P R A E S E S.

**D**octrina de Corruptione & Generatione ex Aristote lis schola, non cerebrina & idealis, sed realis & practica est; siquidem adhuc hodiernis physicis, medicis & chymicis comprobata veritas existit, quod resolutio aut diacrisis, fundamentum & origo combinatio nis

nis five Syncriseos sit, inde rationalis & sobria fluit confirmatio Palingenesiae & Metamorphoseos, ex parte etiam Magiae naturalis: Quis non abhorreat illud Paradoxon, quod homo e stercoreatis & cœnosiis recrementis nutrimentum & condimentum suum acquirere debeat, ideoque e re sordida, abjecta & destructa, nova pura mixtio & structura oriatur: Hinc digestio naturalis via est ad congestionem vitalem; unius Corruptio igitur alterius est Generatio. **AVGVSTINVS** Serm. 46. de diver. inquit. fieri potest, ut qui bodie sunt zizania, cras sint frumentum; & quod Matthiolus in *Dioscor.* Lib. 2. c. 83. eloquitur: *Lolium in triticum quandoque mutari mirandum quidem, absurdum tamen non est.* Tales veritates physicæ, quæ innumeris experimentis evidentibus comprobantur, pluris facienda sunt, quam multæ alia curiositates physicæ gesticulatæ, quæ tamen sibi sapiunt & perplacent, de quibus autem illud judicium & effatum **LVTHERI** valer, scripto contra universit. Ingolstadiensem, quæ Arsacii articulos damnavit, sarcasmo inquietis: *eximii Magistri nostri, vestre excellentie bene dicunt, vos estis lux mundi: Ihr seyd der Dr. . . . in der Laterne:* Propterea in indaganda & profitenda veritate non in animam, fidem & autoritatem aliorum jurare debemus, sicut *Cominæus Lib. 1. Neapolitanæ expeditionis refert cap. 10. interrogavit Pavie Monachus Carthusianum, cur Galeazium Ducem Mediolanensem Sanctum vocaret, qui tamen crudelis, avarus & ambitiosus homo fuit? cui Monachus responsum dedit!* ideo Sanctum illum vocamus, quia multa in nos contulit beneficia. Ante dictæ igitur veritati annunero sollicitam & solidam indagationem, quo modo videlicet subiectis, haud evidenter salinis, ut pl. sordidis, prævia corruptione, fermentatione, putrefactione, combustione, variæ

variae generosorum salium species fixorum æque ac vo-  
latilium, producantur & generentur. Hæc perutilis  
disquisitio physico-chymica selectum Tibi Praestantissime  
*Candidate* præbuit argumentum, quod Inaugurali Tuo  
specimine pertractes & commendes; posteaquam per  
aliquot annos in nostra Musarum Palestra, præclara &  
constantia solertia, sub modesti viræ curriculi connubio,  
Medico studio operam dedisti, idcirco insuper in hoc fo-  
ro atque stadio talem habilitatem dignitatemque nactus  
es, qua sub solitis scrutinis solennibus examinatoriis ab  
Ordine nostro Gradus & immunitates Doctorales merito  
Tibi largiantur ac conferri queant, Maecte hisce esto ho-  
noribus, quos secundum mea vota sincera cœlestis actio-  
num humanarum Director alma sua benedictione, salu-  
berrimisque conatum Tuorum successibus prosequatur.

Vale. Dab. e Mus. XVII. Calend. Novembr. An.

M DCCL.

---

**H**ann, wie es ganz, gewiß auf Fleiß erfolget Seegen,  
Wann, wie ohn Hinderniß, auf eines Weisen Weegen  
Nichts ist als Glück als Heyl und Ruhm  
So wird das beste Theil auch Dir zum Eigenthum.

**Joh. Fried. Sander, Oppon.**  
Med. Candid. Baden-Durlacenf.

---

**G**elehrter Freund, wir wissen Deine Gaben  
Drum sollt Du auch den Lohn vor selbe haben,  
Dein Glücke windt, geh hin, genieß in Ruh  
Die Frucht darvon, es wünscht Dir Glück darzu.

**Joh. Siegmund Sicheling,**  
Halens. M. C. Oppon.



00 A 6999



sb





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>R</sup>ALIS CHEMICO-MEDICA,  
DE  
**SALIBVS**  
**ALKALINO-VOLATILIBUS**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE  
**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONCILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.

SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,  
DECANO SUO SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Praeceptore, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

ANNO MDCCCL. D. XVII. OCTOBR.

HORIS LOCOQUE CONSVENTIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR ET RESPONDENS

**GOTTLIEB JOANNES SCHIEFERDECKER,**  
BELLEBA-MAGDEBURGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.